



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris
novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXVII. De Eucharistia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Coton. *ubi supra num. 42.* ubi quod in articulo mortis possunt statim confirmari nedum adulti, sed etiam infantes, ac etiam perpetuo amentes. At in adultis præter intentionem, & fidem requiritur etiam gratia, ita, ut saltem actum contritionis emittant. Jordan. *num. 52. 53. & 54.*

27. *Quer.* An Episcopus in aliena Diœcesi possit suum subditum confirmare? *Resp.* Negativè, nisi de licentia Ordinarii Diœcesani; aliàs incurreret suspensionem ipso jure ex Concil. Trid. *de Resor. sess. 6. cap. 5.* Jordan. *ibid. num. 51. ubi DD.*

28. *Quer.* Quinam sit effectus hujus Sacramenti? *Resp.* Effectus est Character; Gratia, & Affinitas cum Patrino, quæ vocatur cognatio spiritualis. Coton. *ubi supra num. 49.*

29. *Quer.* An incurrat irregularitatem ille, qui reiteraret Confirmationem, vel bis eandem personam confirmaret, prout statutum est in Baptismo? *Resp.* Hanc esse insignem quæstionem, & pro utraque opinione esse plurimos DD. At verior opinio est negativæ; scilicet quod irregularitas non incurrat neque à reconfirmante, neque à reconfirmato etiam scienter; ea ratione, quia regula certa est in jure, irregularitatem incurri tantum in casibus à jure expressis. *cap. Qui, 15. de Sentent. Excommunic. in 6.* At nullo jure cavetur, ut irregularitas in supradicto casu incurratur. Jordan. *d. lib. 3. tit. 2. num. 57. 58. & 59. ubi Covarruv. Suarez & alii DD.*

30. *Quer.* An in hoc Sacramento possint adhiberi plures Patrini, vel saltem unus, & una, prout in Baptismo? *Resp.* Quod unus tantum est adhibendus juxta antiquum canonem in *cap. Non plures, de Consecr. dist. 4.* Quia quoad Baptismum Trident. Concil. concessit unum, & unam, sed nihil dixit de Confirmatione, & hæc est verior sententia. Coton. *ubi supra num. 43.* & Jordan. qui latè disputat hoc punctum, & sic concludit *num. 74.* notans, sic esse in usu, & sic esse servandum.

31. *Quer.* Quænam debeant esse qualitates Patrinatorum? *Resp.* Ut sint baptizati, censuris non irretiti, confirmati, usum rationis habentes, non Regulares, neque Clerici, nisi de licentia Episcopi, & quod scemina non suscipiant masculos, neque masculi feminas; & demum, ut sciant, se obligatos esse, eosdem confirmatos instruere in fide, & doctrina Christiana, prout monet Pontificale Romanum, & notat Coton. *ubi supra num. 44.* & Jordan. à *num. 67. & seqq. usque in finem;* ubi ponit pulcherrimum edictum publicandum ab Episcopo, antequam accedat ad generalem administrationem hujus Sacramenti.

32. *Quer.* An Patrinus non confirmatus tenens ad Chrisma contrahat spirituales cognationem? *Resp.* Non contrahere, ut præter DD. tenuit S. Congr. die 13. Junii 1654. quam, & quos allegat Pignatell. *tom. 1. Consult. 10.* Qui alia curiosa quæsit desiderat, legat meas Decisiones de Baptismo, & Confirmatione Anni 1688. *mensib. Novembr. ac Decembr.* ubi egi de hoc Sacramento.

1. *Quer.* Quid sit Eucharistia? *Resp.* Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis, & vini, post Consecrationem factam à Sacerdote, sub certis verbis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina, veraciter significans, Corpus Christi, & Sanguinem sub eis realiter contineri, ad spirituales animarum refecutionem. Scot. in 4. *dist. 8. q. 1.* Coton. *lib. 2. Controv. 4. cap. 1. num. 1.*

2. *Quer.* An, ubi plures consecrantur Hostiæ, unum sit Sacramentum, vel plura Sacramenta? *Quer.* Quod respectu rei, id est, Christi in hostiis contenti, est Sacramentum unum numero in omnibus hostiis. Respectu verò actionis, qua ipsum Sacramentum producit, nempe per modum spiritualis convivii, multiplicatur numero, prout ad varias ordinatur sumptiones. Suarez de *Euch. disp. 39. sect. 4.* & ideo hoc Sacramentum non est transiens, sicut cætera Sacramenta; sed permanens, nam verè, & propriè non consistit in consecratione, vel communione, ut falso docuit Gabriel in 4. *dist. 8. q. 1. art. 2. dub. 2.* Sed consistit in ipso Corpore, & Sanguine Christi realiter existentis sub speciebus consecratis. Coton. *ibid. & Scotus ubi supra.*

3. *Quer.* Quæ sit materia Eucharistiae? *Resp.* Materia Eucharistiae est duplex; una remota, & hæc est panis, & vinum usuale, illud ex tritico, istud ex vite. Proxima materia sunt species Sacramentales, prout continent Corpus Christi. Coton. *dict. cap. 1. num. 3.*

4. *Quer.* An panis confectus ex aqua Rosacea sit materia apta pro hoc Sacramento? *Resp.* Alterari inter se Doctores, sed prævalere opinionem negativam, quam tenet S. Thom. 3. *p. 9. 74. art. 7.* & Scot. in 4. *dist. 11. q. 6.* eo quia aqua debet esse elementaris, ad hoc ut panis sit usualis; & sic etiam tenet contra Cajetan, Cotonius *ubi supra num. 4. & 5.* addens, quod si panis subigatur aqua maris, erit usualis, quamvis alii contrarium dixerint, ut videre est apud Dianam *part. 9. tract. 9. resol. 58.*

5. *Quer.* An hostiæ rubræ, ob admixtum cinabrium, quibus litteras signamus, possint consecrari? *Resp.* Licet consecrari non possent, an autem validè? est hinc inde opinio; quia non videntur esse panis usualis. Dian. *part. 7. tract. 12. sess. 8.* & Cotonius *ubi supra num. 6.*

6. *Quer.* An panis massa cruda possit consecrari; vel panis elixus, vulgò *Pancotto*, & *Panata*? aut etiam Pastilli farinacci, vulgò *Vermicelli*, & *Macheroni*, ubi fuerint concocti? *Resp.* Negativè, quia neuter horum est panis usualis, sed aliæ species ad nutritionem inventæ. Dian. *part. 9. tract. 9. resol. 58.* Coton. *num. 7. & 8. ubi supra.*

7. *Quer.* An sit materia sufficiens Panis ex Amygdalo? *Resp.* Quod Scotus d. *dist. 11. q. 6. lib. 4.* tenet, quod non. Sed Henriquez *lib. 5. cap.*

Erot. Eccl. Cap. CXVII. De Sacramento Eucharistiæ. 173

cap. 9. dicit, quodd sic. Placet opinio moder-
norum distinguendum, aut Amydum tale
factum est per omnimodam tritici putrefa-
ctionem? & panis ex eo non erit sufficiens
materia ad consecrandum. Aut tantummo-
do inchoatum est putrefieri, & erit apta ma-
teria; tunc enim non censetur perdidisse na-
turam, & qualitates farinæ triticeæ. Diana
part. 10. tract. 16. resol. 38. Coton. ubi antea num.
9. & 10.

8. *Quer.* An multum referat, utrum Panis
sit Azymus, vel fermentatus? *Resp.* Multum
referre, quia licet uterque sit materia apta ad
consecrandum, ut definitum est in Concilio
Florentino: & docet Cathedra, Rom. sess.
14. de Sacram. Euchar. tamen Græci tantummo-
do uti possunt pane fermentato, & Latini so-
lo azymo sub pœna mortalis peccati ex Bul-
la S. Pii V. Incipit: *Providentia Romani Pontifi-*
sis, est la XII. etiam si Græcus celebraret in Ec-
clesia Latina, vel Latinus in Ecclesia Græca;
nam obligatio hæc non localis, sed persona-
lis nationum est. S. Thom. 3. par. qu. 74. art.
4. Diana part. 3. tract. 6. resol. 99. & part. 10.
tract. 16. res. 39. Coton. ubi supra num. 13. &
14. ubi notat, id esse omnino servandum,
quævis aliâs populus deberet diu Sacrificio
privari, vel infirmus decedere sine Viatico;
quia utilitas privata non debet pervertere Con-
stitutiones Ecclesiasticas circa ritus erga hoc
maximum Sacramentum, & ejus reveren-
tiam. Videantur Decisiones meæ de Vene-
rabili Eucharistiæ Sacramento Decis. XI. ubi
latè egi de hac quæstione Panis Azymi, &
fermentati.

9. *Quer.* An vinum recens, seu mustum,
mox ex botris extractum, sit materia apta con-
secrationis? *Resp.* Affirmativè, quia est essen-
tialiter Vinum, imò usualiter, prout eo uti-
tur quidam Herus meus Abbas, & Canonicus,
nunc Episcopus, & Cardinalis, per magnam
partem anni; & habetur textus apertus in cap.
Cum omne crimen de Consecr. dist. 2. in quo tale
mustum permittitur in necessitate, puta si
defecatum vinum deesset, vel communican-
dus esset moribundus, vel celebrandum in
die festo, quo casu deberet esse percolatum,
& à facibus crassioribus diligenter expurga-
tum. An autem peccaret mortaliter, vel veni-
aliter tantum, qui absque necessitate cum
dicto musto celebraret? & hinc inde DD.
opinio, ut videre est apud Dianam part. 10.
tract. 11. resol. 37. Coton. ubi proxime num. 15.
16. & 17. ubi ex Diana subdit, quodd succus
ex botris acerbis non est sufficiens; at erit
sufficiens ex semiacerbis, quia sic multa vina
confici solent.

10. *Quer.* An sit consecrabile vinum ex-
tractum ex Uvis passis? *Resp.* Esse materiam
dubiam apud Doctores: nam asserit Diana
part. 7. tract. 12. res. 8. sed dubitat ipsemet cum
aliis part. 10. tract. 11. resol. 37. Ideo adverten-
dum est, an retineat succus ille qualitatem,
& naturam vini usualis; nam eo casu erit con-
secrabilis, & eo uti Patres Missionarios in Æ-
thyopia, & in Insulis Philippinis tradit Cardi-
nalis de Lugo, relatus à Cotonio ubi supra
num. 19. & 20.

11. *Quer.* An consecrati possit succus non

expressus ex botro, & sic dum adhuc contine-
tur in botris? *Resp.* Negativè; quia in eo
statu non est vinum potabile, neque potus,
sed cibus. S. Thom. & Scotus, quos allegat,
& sequitur Coton. ubi supra num. 21. Quartus
in Rubr. Miss. p. 3. tit. 4. dub. 6.

12. *Quer.* An sit materia sufficiens vinum
congelatum, vel vinum imbibitum in ossa
panis? *Resp.* Quodd plurimi Theologi negant,
quia illud vinum non est potabile, neque po-
test designari per pronomen *Hic*: sed non
pauci affirmant, quia licet actu non sit po-
tabile, de facili fieri potabile potest, per so-
lutionem gelu, aut compressionem ossæ.
Qui tamen sic consecraret, culpa gravi ad-
stringeretur, nam materia non est certa.
Coton. pro utraque opinione DD. citans d.
lib. 2. Contr. 4. cap. 1. num. 22. & 23. Quartus
d. part. 3. tit. 4. dub. 8. ubi resolvit hinc inde
argumenta; & ad illud, quodd sicut aqua con-
gelata non est materia apta baptismi, sic nec
vinum congelatum pro Eucharistia (dicit)
non valere consequentiam, quia materia ba-
ptismi est ipsa actualis ablutio, cui non est
apta aqua congelata; & Eucharistiæ non est
ipsa actualis potatio, sed vinum per se pota-
bile. ex quo Sanguis conficitur.

13. *Quer.* An liceat vinum consecrandum,
vel frigidificare in æstate admota nive, vel te-
pescacere hyeme ad ignem? *Resp.* Affirmati-
vè (nisi fiat ex mala intentione) puta ad in-
ducendum novum ritum, tunc enim esset
mortale; quodd si ex delectatione gustus, ef-
set veniale; si autem vel ne congeletur, vel
ne evanescat, nulla erit culpa. Tamburin. in
Opusc. de Sacrific. lib. 2. cap. 4. num. 2. Quartus
ubi supra dub. 8. in fin.

14. *Quer.* An sufficiens materia sit quod-
cunque Vinum, licet ebullitum sit mustum
cum multa aqua, prout mos est apud bonos
ceconomos, & patresfamilias in domibus
laicalibus nostræ regionis? *Resp.* Cum distin-
ctione. Si parum aquæ multo multo infun-
datur, erit materia sufficiens; si verò infun-
datur aqua in quantitate notabili, ita, ut vi-
num sit tenue? & tunc non erit sufficiens,
vel saltem non licita materia, quia esset du-
bia, & sic esset mortale, consecrare in illa.
Henriquez lib. 8. cap. 12. Quartus ubi supra
dub. 3. & dub. 4. ubi expressè docet, neque licet
neque validè posse loram consecrari, quæ vul-
gò appellatur *Grassia*, & à Romanis *Acquarello*.

15. *Quer.* An possit consecrari Mustum,
id est, vinum conditum melle, vel saccharo,
vel butyro, vel aliis aromatibus, aut succis
immixtum? *Resp.* Mustum præfatum esse
semper materiam illicitam, quia commixtio
aliorum succorum eam reddit dubiam, quam-
vis sola infusione fiat. Quod si fieret per de-
coctionem, esset materia invalida, nam mu-
tat naturam vini usualis. Suarez disp. 45. sect.
1. S. tertio sequitur, & Quartus ubi supra dub. 5.

16. *Quer.* An consecratio fieri possit in a-
quavitzæ, id est, in vino igne distillato? *Resp.*
Negativè; licet enim aquavitzæ sit flos vini,
& perfectiori modo contineat substantiam vi-
ni, tamen non habet amplius formam vini, quæ
transmutata est in illud mixtum nobilius, ut
contingit in mineralibus, & aliis per Alchi-
miam

miam confectis; & certum est, Aquam vitæ non esse vinum usuale, quo ad bibendum utamur; sed potius est medicamen pro stomachi frigidityte. Ita Quartus in dict. par. 3. Rubric. Missal. tit. 4. dub. 9. ubi ait, non reperisse alios Doctores hunc casum tractantes.

17. *Quer.* An vinum miraculosum immediate à Deo productum, puta illud in Nuptiis Canæ Galilææ; vel in doliis Sanctorum ex miraculo multiplicatum, sit apta materia consecrationis? *Resp.* Quod licet negativam sententiam teneat Card. de Lugo De Eucharist. disp. 4. sect. 4. num. 53. ob eam rationem, quod vinum consecrandum debet esse vinum de vite; nihilominus affirmativa sententia majori numero Doctorum fulcitur, quia tale vinum licet ex miraculo productum, est unius, & ejusdem speciei cum vino de vite, & eadem habet proprietates. Gavant. ad Rubric. Missal. de Defectib. tit. 4. num. 1. Quartus ubi supra dub. 11. Ego ipse de Eucharist. Decis. 12. num. 10.

18. *Quer.* An liceat consecrare cum vino acido, vel acri? *Resp.* Non licere, ubi necessitas non urgeat, & aliud vinum non acidum possit haberi. Quod si vinum esset factum acetum, non solum non liceret, sed neque valida foret consecratio. Quartus ibid. dub. 11.

19. *Quer.* An sit necessarium, quod vino consecrando admisceatur aqua? *Resp.* Affirmative; non quidem necessitate Sacramenti, sed necessitate præcepti; non divini, sed humani. S. Thom. 3. part. qu. 74. art. 6. & 8. Bellarm. De Eucharist. lib. 4. cap. 10. Cotton. d. lib. 2. contr. 4. cap. 1. num. 24. & 25. ubi notat, quod aquæ omisio esset peccatum mortale; prout etiam si non esset elementaris aqua, sed vel rosacea, vel ex floribus aliis, quia hæc non converteretur in Sanguinem, sicut elementaris, juxta commune Theologorum placitum. Idem Cottonius num. 26.

20. *Quer.* Quanta aqua sit in Calice infundenda? *Resp.* Plura à Doctoribus dici; sed illud magis receptum, quod potest admisceri tanta aqua, quanta est decima, vel octava pars vini. Layman, lib. 5. tract. 3. cap. 2.

21. *Quer.* Utrum panis, & vinum consecrari possit in qualibet magna quantitate? *Resp.* Cum distinctione. Aut agimus de valida consecratione, aut etiam de licita. De prima respondetur affirmative, quia Sacerdotibus indefinite tradita est potestas consecrandi; & ideo, ubi datur moralis, & sufficiens præsentia panis, & vini, valida est consecratio in quavis magna quantitate. S. Thom. 3. part. quest. 74. art. 2. Quartus ubi supra part. 3. tit. 2. sect. 1. dub. 3. De licita verò consecratione respondetur negative, quia peccaret Sacerdos, qui consecraret tantam materiam, quæ non posset vel decenter asservari, vel fidelibus convenienter distribui. Bonacin. De Eucharist. disp. 4. quest. 2. punct. 5. Quartus ubi proxime dict. dub. 3.

22. *Quer.* E contra, An panis, & Vinum valeat consecrari in quavis parva quantitate? *Resp.* Circa validitatem posse consecrari quamcunque minimam particulam panis, & guttulam vini, dummodo sensibilis sit. S. Thom. d. qu. 74. art. 2. Quomodo autem intelligatur ly sensibilis, disputant subtiliter Doctores,

& illud ex eorum dictis colligitur, tunc esse materiam, seu fragmentum sensibile, quod potest oculis percipi, & videri vel ab ipso Sacerdote, vel ab alio ibi præsentem. Quartus ubi antea dub. 4. Circa verò convenientiam, ut consecratio sit licita, & evitetur peccatum, debet servari illa quantitas panis, & vini, de qua est consuetudo in Ecclesiis, nempe ut pro Missa hostia major consecratur, pro laicis verò hostiæ minores. Quartus ubi supra d. dub. 4. ubi in fine notat, quod esset sacrilegium consecrare minutum fragmentum pro Missa celebranda, eo quia non esset aptum ad elevationem faciendam, & ad dividendum super Calice, aliasque caremonias explendas.

23. *Quer.* An possit in Missa consecrari vel solus panis, vel solum vinum? *Resp.* Negative quoad essentiam Sacrificii; Affirmative verò quoad validitatem Sacramenti. S. Thom. 3. part. qu. 77. art. 6. ubi confutat contrarium sentientes. Quartus dict. part. 3. tit. 2. sect. 1. dub. 2. ubi argumenta allegat, & solvit.

24. *Quer.* An Summus Pontifex dispensare possit, ut in una tantum specie Missa celebraretur? *Resp.* Quod licet affirmativam sententiam tenuerint D. Antonin. Adrian. & alii, quos citat Dian. par. 8. tract. 1. res. 23. & plures scripserint, sic alias à Papa fuisse concessum Norvegis, & Danis, ob vini deficientiam in illis regionibus frigidissimis. Vasq. in 3. part. disp. 223. cap. 1. Nihilominus negative est respondendum, quia consecratio in Missa sub utraque specie est ex præcepto Divino, contra quod Papa non dispensat; & assertio circa Norvegos, & Danos non est vera; sed ex Apocryphis scriptis desumpta. Ita Quartus in Appendice de Sacrificio qu. 1. punct. 5. & Cotton. diffuse d. lib. 2. Contror. 4. cap. 1. à num. 33. & seqq. Et ego diffusissime de Sacrificio Missæ Decis. 32. ubi de hac questione disputavi.

25. *Quer.* An materia consecranda debeat esse necessariò in præsentia Sacerdotis, & quomodo hæc præsentia constituatur? *Resp.* Necessariò materiam debere esse præsentem, & quidem in corporali, & super aram, imò hostiam in manu Sacerdotis esse retinendam, ut ritè consecratur. Quò verò ad validitatem consecrationis ut verè sit præsens, debet esse propinqua Sacerdoti, quia si nimis distet, non potest designari per pronomen Hoc, sed potius per Illud. Quanta verò debeat esse propinquitas? Alii dicunt, tanta, ut manibus extensis à Sacerdote tangi possit; Alii ut halitus Sacerdotis super ea possit pervenire; Alii, quod existat intra decem passus. Sed nullarum determinationum irreprehensibilis est. Quare dicendum, quod id pendet ex circumstantiis locorum, & personarum, & soli Deo esse notum. Quartus d. part. 3. tit. 2. sect. 2. dub. 2. ubi monet, ad tollendam omnem dubitationem, materiam esse retinendam super corporale, ut ritè, & rectè consecratur. Cotton. ubi supra cap. 2. num. 41. & 42.

26. *Quer.* Utrum valide possit consecrari materia existens à tergo, seu retro? *Resp.* Negative, quia propriè, & rigore non potest designari per articulum Hoc; nisi forte Sacerdos eam manu teneret, vel digito, aut alio indicio eam demonstraret: Quartus pluribus

DD. citatis ubi proximè *dub. 3.* notans, id nunquam licere, tum ratione dubie consecrationis, tum respectu prohibitionis Rubricarum, quod sentit etiam Coton. & ab eo DD. allegati ubi *supra num. 43.*

27. *Quer.* An possit consecrari hostia clausa in Tabernaculo, seu Arca Altaris; si Sacerdos ibi celebrans, ad eam dirigat intentionem? *Resp.* Negativè, quia dicta hostia non potest designari per pronomen *Hoc*, & est tanquam extra parietem posita, & deest præsencia moralis. DD. citati à Quarto ubi *supra dub. 5.* ubi in fine notat, ratione dubii illam hostiam fore sumendam statim post sumptionem Sanguinis, & mortaliter peccare, qui sic consecraret. Coton. *num. 44. & 45.* Qui dubiam facit pariter hanc resolutionem.

28. *Quer.* An validè, & licet consecratur hostia clausa in Pyxide super corporale posita? *Resp.* Affirmativè, quia moraliter sunt præsentes, & designantur per pronomen *Hoc*, & non est necesse, ut oculo Sacerdotis inspiciantur; sicuti non omnes hostiæ inspicere possunt, quamvis sint posita super corporale pro consecratione, nam alix ab aliis teguntur. DD. quos allegat, & sequitur Quart. *ibid. dub. 6.* ubi advertit, debere tamen Sacerdotem aperire Pyxidem ante consecrationem, quamvis non sub culpa saltem mortali; & ita observant in praxi Myltæ doctiores.

29. *Quer.* An hostiæ latentes sub mappa Altaris, vel sub corporale, validè consecrentur? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, & distinctiones Doctorum; quare resolutio remanet dubia, & nihil certum statui potest. Quart. *ibid. dub. 7.*

30. *Quer.* Si Sacerdos habeat in manibus duas hostias, quas consecret, putans esse unam, quænam censeatur consecrata? *Resp.* Quod utraque erit consecrata, quia intentio censetur directa in omnem materiam existentem in manibus, & sic in utramque hostiam. Coton. ubi ante *num. 48.* Porro, si restringeret intentionem ad consecrandam solam hostiam, quam oculis videt, illa, quam non videt, non esset consecrata. Quart. *part. 3. tit. 7. dub. 7.* Casus iste semel mihi accidit: sic enim erant unitæ simul duæ hostiæ, ut pro una eas consecraverim. In fractione earum errorem detexi. Eam, quæ subter erat, post sumptionem Sanguinis, statim sumpsi.

31. *Quer.* An Sacerdos possit consecrare particulam cadentem in Pyxidem, ubi plures alix sunt consecratae, adeo ut illam amplius non fecernat à consecratis? *Resp.* Esse varias DD. opiniones, nam alii dicunt, posse consecrari, intelligendo, consecrare quicquid in Pyxide consecratum non est. Alii, non posse dictam particulam amplius consecrari, quia ipsa non potest demonstrari per articulum *Hoc*; ideoque dispensandas esse communicantibus binas, & binas particulas. Utramque opinionem licitam ex Diana, & aliis censet Coton. ubi *supra num. 50. & 51.* & Quart. *d. tit. 7. dub. 6.*

32. *Quer.* An guttæ Vini, quæ sunt in calice, separatæ ab eo, quod est in fundo, re-

maneant consecratae? *Resp.* Negativè, quia per Verbum *Hic* intelligitur liquor contentus in calice per modum unius continui. Layman. *lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 14.* Nisi Sacerdos dirigeret intentionem etiam ad illas guttas, tunc enim certè eas consecraret. Quart. *d. tit. 7. dub. 9.* & Cotonius ubi *supra num. 52.*

33. *Quer.* Qui sint effectus Eucharistiæ? *Resp.* Esse plures, sed præcipuè quatuor. Primus est Gratia sanctificans, per quam acquirimus Jus ad gloriam. Secundus est remissio peccatorum venialium. Tertius est præservatio à mortalibus. Quartus est Spirituallis quædam dulcedo, juxta illud: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Card. de Lugo *De Eucharist. disp. 12. sect. 4.* & Cotonius ubi ante *num. 53.*

34. *Quer.* An Eucharistia remittat peccatum mortale, & conferat primam gratiam? *Resp.* Negativè de per se, & ex sua Institutione; quia de ratione cibi est, non dare vitam, sed eam conservare, & augere. Suarez *disp. 63. sect. 1.* At per accidens plurimi Doctores affirmant in duobus casibus. Unus, si quis post diligens examen non recordetur mortalis culpæ, & communicet, quamvis sola attritione. Alter, si recordetur, sed non habens Confessarium, & urgeat necessitas, communicet cum sola attritione, credens eam sufficere. Diana *part. 3. tract. 6. resol. 98.* Porro ab hac opinione recedit Coton. ubi *supra num. 14.* qui *num. 55.* docet, si quis communicet in mortali, nesciens mortalem culpam habere, neque gratiam in eo minui, neque augeri, sed ob ignorantiam culpæ non cognitæ excusari. Vide meas *Dec. de Eucharist. Decis. 46.* ubi latè de hoc Quæsito.

35. *Quer.* An Eucharistia conferat gratiam tollenti obicem peccati post Communionem, nondum consumptis speciebus? *Resp.* Plures Theologos affirmare, sed plures etiam negare, & utramque opinionem habere fortes rationes, quas refert Diana *part. 11. tract. 7. resol. 48.* & Coton. ubi *supra num. 56. & 57.*

36. *Quer.* An conferat majorem gratiam Eucharistia sumpta sub utraque specie, quam sub una? *Resp.* Majorem partem Theologorum negare, quia utraque species continet totum Christum, Diana *part. 3. tract. 4. resol. 97. & part. 5. tract. 13. resol. 29.* Sed nonnullos affirmare, quia utraque species ratione sui gratiam significat, & confert, una scilicet, ut reficiens; altera, ut refrigerans; & ideo utraque opinio reputatur probabilis à Diana *ibid.* & à Coton. *num. 58.*

37. *Quer.* Quandonam hoc Sacramentum conferat gratiam? *Resp.* Alios Theologos sentire, quod in sumptione, & dum est in ore, alios in manducatione; dum Sacramentum deglutitur, & transit per guttur; alii, dum Sacramentum recipitur in stomacho; & hæc videtur tutior opinio. Coton. *ibid. num. 59.* Vide meas decisiones *de Eucharist. decis. 56.* in qua hæc Quæstio examinatur.

38. *Quer.* An conferat gratiam toto tempore, quo est in stomacho? *Resp.* Non esse uniformem sententiam Doctorum, quorum alii negant, & alii affirmant, si, & quatenus

nus extet dispositio in Communicante, & crescat affectus in Deum, & charitatis actus multiplicentur; & hanc affirmativam opinionem reputat probabiliorē Diana *part. 11. tract. 7. resol. 47.* quem citat, & sequitur Coton. *ubi supra num. 61.* & idē, qui grossiori hostia celebrat, vel sumit plures particulas, potest multiplicando actus charitatis in Deum majorem gratiam recipere, usquequod species consecratae in stomacho retinentur. Quo loci notabo, in Vita S. Philippi Neri *lib. 2. cap. 1. num. 13.* scriptum esse, Sanctum illum consuevisse pro celebratione hostias querere grossiores; ut diutius frueretur existentia Christi in illis.

39. *Quer.* An consulenda sit quotidiana Communio etiam laicis, qui à mortalibus culpis abstinent? *Resp.* Plura super hoc scripta esse à Theologis, & à Patribus, quorum magis pia sententia est affirmativa, quia panis quotidianus est Eucharistia, quam olim fideles quotidie sumebant; & sic in praxi observatur à pluribus Confessariis eximie bonitatis, & prudentia. Et certè præter alias rationes pro affirmativa adductas à Coton. *ubi supra à num. 62. & seqq.* illa fortissima est, quod nunquam Ecclesia Catholica in tot, & tantis Conciliis prohibuit quotidianam Communionem, imò acriter reprehendit aliquos Episcopos, qui in suis Synodis decreverant, Communionem Sacram non quotidie laicis esse dandam. Coton. *ubi supra num. 66.* & latissime probavi *Decis. X. de Eucharist.* Est tamen servandum Decretum Sacrae Congregationis circa Communionem quotidianam *die 12. Februarii 1679.* in quo monita necessaria, ac utilia dantur circa communicandos laicos quotidie, quod est impressum in multis libris, & speciatim in meis Decisionibus *de Eucharistia Decis. 10. num. 11.*

40. *Quer.* Quomodo debeat esse dispositus, qui ad Sacram Communionem accedit? *Resp.* Debet habere omnia contenta in his duobus carminibus:

*Lotus, discretus, sanus, jejunus, & aptus,
Contritus, fassus, mundus, rectèque paratus.*

Quæ verba significant, quod Communicandus sit *lotus*, id est baptizatus; *discretus*, id est, habeat usum rationis; *sanus*, ut non patiatur vomitum; *jejunus*, quod nihil coeperit ore à media nocte antè; *aptus*, ut non sit ligatus aliqua censura; *contritus, & fassus*; id est, Confessionem Sacramentalem præmiserit, vel saltem in necessitate contritionis actum fecerit; *mundus*, quod à carnali copula abstinerit; & sit *rectè paratus*, id est, habeat devotionem. Coton. *ubi supra lib. 2. cap. 6. num. 68.*

41. *Quer.* An jejunium in Communicante sit ex Præcepto Divino, vel Ecclesiastico? *Resp.* Esse ex Præcepto Ecclesiastico, sed eo antiquissimo, & usque à temporibus Apostolorum observato. Diana *part. 8. tract. 1. resol. 89.* Coton. *ubi supra num. 72. & 73.* ubi notat, Papam posse in hoc dispensare; sed raro, & cum gravi causa; & subjungit, Primitivum Sancti Marci Veneriarum, qui in nocte Natalis Domini ex consuetudine celebrat hora secunda noctis, solitum esse servare je-

junium à media nocte ante Vigiliam; prout etiam Cardinalis, qui ex nocte celebrat in Sacello Papæ ante mediam noctem; & quamvis plures DD. videantur docere, quod Primitivius, & Cardinalis prædicti possent in die Vigiliæ comedere, quia illa Missa est Missa Natalis Domini, sed anticipatè ex privilegio, vel consuetudine celebrato; hoc tamen in usu non servatur, & non bene sonaret.

42. *Quer.* Quale jejunium requiratur, in sumente Eucharistiam; an scilicet Ecclesiasticum tantum, quod admittit potum, & medicinam; vel naturale, quod excludit quancunque rem, etiam modicissimam? *Resp.* Requirit jejunium naturale, quia nihil penitus manducasse debet communicandus; & idē refellendus est Pasqualigus *Decis. 335.* qui docuit, dari in hoc paucitatem materiæ, quod est contra universalem sententiam DD. Diana *part. 6. tract. 8. resol. 8.* Coton. *ubi proxime num. 74.* Ego imple *de Eucharistia Decis. 54.*

43. *Quer.* An jejunium naturale violetur per intromissionem cujuscunque rei per guttur in stomachum, etiam non ratione cibi; puta per os cerasæ, per pulverem, pillulam ceræ, sanguinem, & similia? *Resp.* Sententias plures, easque variis conditionibus compositas reperiri Doctorum, qui in se nimis discordes sunt; ut videre est apud Coton. *ubi supra à num. 76. & seqq.* Illud est magis certum, scilicet jejunium naturale frangi, si quod trajicitur in stomachum, sit alterabile à stomacho humano; idque prudentis viri arbitrio posse decerni; prout è contra jejunium non frangi, si quæ deglutita sunt, integra excernuntur. Tambur. in *opuscul. de Commun. cap. 2. §. 6.* Coton. *ibid. num. 78.*

44. *Quer.* An frangant jejunium, qui tabachum sumunt vel in pulvere, vel in fumo, vel in herba; & ex eo aliquid in stomachum trajiciunt? *Resp.* Magis communem opinionem esse, non frangere, quia per modum cibi degluti non potest, sed per respirationem, & herbae tabachi masticatio excitat humores ad expellendum tum è stomacho, tum è capite. Diana *part. 10. tract. 16. num. 23.* Coton. *ubi supra num. 81. 82.* ubi notat, ob indecentiam, & spurcitiam indecens esse tabachum sumi à communicaturis, & à pluribus Episcopis zelantibus, id esse prohibitum: quod apud nos non attenditur, & plures Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares immundi nimis sunt, & male olent ob hanc tabachi abusivam sumptionem; quam nos redarguimus, & reprobavimus *de Euchar. decis. 54.* quam, utinam Tabachistæ dignarentur legere, considerare, & non parvipendere ad servandam decentiam sui status Sacerdotalis, quem decet esse purissimum ab omni sorde etiam externa.

45. *Quer.* Quando incipiat obligatio jejunii pro Communionem servanda? *Resp.* In media nocte antecedenti juxta morem Ecclesiæ Romanæ, quod in Europa servatur. S. Thom. 3. *part. qu. 80. art. 5.* Coton. *ubi supra num. 83.*

46. *Quer.* An sit necessarium, ut qui est communicaturus, debeat dormire, postquam cœnaverit ante mediam noctem? *Resp.* Ne-

gativè, quia sufficit, quòd Sacra Synaxis sit primus cibus illius diei. *Dian. par. 3. tract. 4. resol. 44.* quamvis contrarium sentiat Glossa in cap. Si consisterit, de Accusat. quæ minimè est attendenda. *Coton. ubi supra num. 83.*

47. *Quer.* An computanda sit media nox in principio pulsationis horologii, vel durante pulsatione horæ mediæ noctis possit quis cibum, vel potum sumere? *Resp.* Incertas esse Doctorum opiniones; quarum summa est, non dari in hac re parvitatem materiæ, & tempus non esse sumendum moraliter, sed physicè; idèò, quando horologium reputetur justum, & incipiat sonare in puncto mediæ noctis, erit statim à cibo, & potu abstinendum. *Coton. pluribus citatis, ubi antea num. 85. 86. 87. & seqq.*

48. *Quer.* An in dubio, quando quis hæsit, utrum comederit ante, vel post mediam noctem, possit manè sequenti communicare? *Resp.* Doctores in duas opiniones esse divisos; cum asserentibus tenet Diana *part. 10. tract. 12. resol. 17.* cum negantibus stat Cardinalis de Lugo de *Euchar. disp. 15. num. 42.* cui adhæret *Coton. ubi supra num. 90.* dicens, possessionem stare pro Præcepto, & pro isto in dubio esse tenendum.

49. *Quer.* Quibus in casibus cesset obligatio jejunii ante communionem? *Resp.* In tribus casibus. Primò, si esset periculum irreverentiæ inferendæ sacræ Synaxi vel ab Hæreticis, vel Infidelibus, aut incendio, vel inundatione. Secundò in infirmitate periculosa ad implendum Præceptum Divinum Communionis, per Viaticum. Tertiò, ut detur integritas sacrificii. *Coton. ubi supra num. 92.* Vide, quæ scripsi de *Eucharistia decis. 3.*

50. *Quer.* In casu impediendæ irreverentiæ, si adsit Laicus jejunus, & Sacerdos non jejunus, quis eorum debeat Sacram Eucharistiam sumere? *Resp.* Quòd Laicus jejunus, ita tamen, quòd per manum Sacerdotis illa ministraretur. *Coton. ibid. num. 93.*

51. *Quer.* An sit danda Communio morituro non jejunò, qui manè receperat sacram Synaxin? *Resp.* Negativè secundum *Coton. Controv. 16. lib. 1. & d. lib. 2. Controv. 4. c. 4. num. 94.* Affirmativè secundum *DD. per me allegatos de Eucharistia decis. 23.* quam studiosus legere non omittat.

52. *Quer.* An possit infirmus in eadem infirmitate, durante periculo, pluries communicare post cibum? *Resp.* Affirmativè, quamvis aliqui contrarium dixerint; nam Communio datur infirmis non solum ad Præceptum Divinum adimplendum; sed etiam ad augendam gratiam, & roborandas vires contra tentationes. *Diana part. 2. tract. 14. resol. 75. & part. 5. tract. 3. resolut. 37.* Ego ipse de *Eucharistia decis. 19.* in qua latè disserui de hoc quæsito.

53. *Quer.* Post quantum temporis possit concedi secunda Communio infirmo non jejunò, qui jam eam non jejunus receperat, durante eadem infirmitate? *Resp.* Doctores plura dicere in hoc. Alii, quòd expectandi sint 30. dies, alii decem, alii octo, alii sex, alii die sequenti. Sed cum Rituale Romanum dicat, si æger sumpto Viatico dies ali-

quot vixerit, & iterum communicare velit, Parochus eum debeat communicare; per ly dies aliquot erunt intelligendi saltem dies tres. *Diana part. 11. tract. 6. resol. 17.* *Coton. ubi supra num. 99.* Vide d. meam *Decis. 19. de Eucharistia, & DD. ibi allegatos.*

54. *Quer.* An dari possit Viaticum post cibum ei, qui moriturus est illa die ex morte violenta? *Resp.* Esse hinc indè opiniones Doctorum, & affirmativam videri magis piam, quamvis negativa videatur in praxi prævalere, maxime quia moriturus ex morte violenta non solet dari Communio ea die mortis, sed pridie. *Dian. part. 3. tract. 5. resol. 59.* Cæterum Romæ eadem die communicari morituros prædictos, nisi pridie communicari potuerint, testatur Corset. *Singular. 68.* Imò etiam si pridie communicassent, *Coton. ubi supra num. 100.*

55. *Quer.* An Sacerdos non jejunus possit celebrare ad dandam Communionem morituro? *Resp.* Negativam opinionem esse magis communem, ut refert *Diana part. 8. tract. 1. resol. 78.* Sed contrarium tenent pii, & graves auctores, quia lex charitatis divina debet prævalere præcepto Ecclesiastico de jejunio. *Coton. pluribus citatis ubi ante num. 101.* ubi id tanto magis concedit, si Sacerdos fregisset jejunium ex sola purificatione sumpta in Missa præcedenti. Ego negativam amplexus sum de *Eucharistia decis. 3.*

56. *Quer.* An in antedicto casu liceret Sacerdoti consecrare absque celebratione; vel celebrare sine sacris vestibus? *Resp.* Negativè contra Major. in 4. dist. 9. qu. 3. ad 5. quia nimia esset irreverentia. *Coton. d. num. 101.*

57. *Quer.* An Sacerdos posset celebrare non jejunus, si ei fieret præceptum à potentibus sub pœna mortis, casu quo nollet celebrare? *Resp.* Quòd posset, dummodo non impelleretur in contemptum fidei, sed ut audirent Sacrum. *Coton. ubi antea num. 102.*

58. *Quer.* An celebrans, si post consecrationem recordetur, se non esse jejunum, debeat continuare Missam, & communicare? *Resp.* Affirmativè, quia debet perficere Sacrificium; & idem dicendum foret, si sumpto Sanguine, reperiret esse aquam, nam iterum deberet consecrare, nisi timeret scandalum, & sic facere posset Laicus, qui innititur scammo Communionis, expectans Communionem. *Diana part. 4. tract. 4. resol. 104.* *Coton. ubi supra num. 103.* quod tamen mihi non placet de Laico.

59. *Quer.* An Sacerdos post ablutionem possit sumere fragmenta Sacri Convivii non solum statim, sed etiam, cum reversus est in Sacristiam? *Resp.* Magis communem esse opinionem affirmativam, tum quia censentur spectare ad idem Convivium, tum etiam quia non possent servari, nisi cum aliqua irreverentia, & si reportarentur in Pyxidem, fieret tumultus. *Diana part. 10. tract. 13. resol. 53. & 54.* *Coton. d. loco num. 104.*

60. *Quer.* An confiteri peccata, antequam recipiatur Eucharistia, sit Præceptum divinum, vel Ecclesiasticum tantum? *Resp.* Esse præceptum divinum secundum graviorum Patrum sententiam. *Cardin. de Lugo de Sacram. Eucharistia*

stia disp. 14. sect. 4. à num. 69. Diana par. 11. tract. 8. resol. 40. Et Coton. ibid. num. 108. & 109. ubi adhæret etiam dicentibus, contrariam opinionem non esse probabilem.

61. *Quer.* Si quis confessus fuerit, & antequam Eucharistiam sumat, recordetur peccati mortalis obliti, an iterum debeat confiteri, antequam communicet? *Resp.* Affirmativè, si habeat copiam confessarii. Coton. *ubi supra num. 111.* ubi ait, sentientes contrarium fuisse in Hispania à Sacra Inquisitione reprobato.

62. *Quer.* An dentur casus, in quibus liceat, post mortale commissum, Sacerdoti celebrare, vel Laico communicare, absque prævia confessione, & cum sola contritione? *Resp.* Plures posse dari casus, si duo copulativè interveniant, nempe defectus confessarii, & necessitas celebrandi, seu communicandi. Dicitur autem deesse confessarius non solum, si absit, sed si haberi non possit, nisi cum scandalo, vel cum incommodo, aut detrimento gravi. Sic necessitas reputabitur, vel in articulo mortis, vel si ex omiſſa Communione, vel Sacro resultaret homini infamia, vel aliquod grave detrimentum. Coton. *ibid. num. 112.* Ego ipse in meis Decisionibus *De Penitentia Decis. 23. num. 11.*

63. *Quer.* An possit communicare absque confessione peccati mortalis, qui non possit confiteri nisi adhibitio interprete, ob ignotam confessarii linguam? *Resp.* Negativè, quia teneretur adhibere interpretem, & eo mediante divinum præceptum adimplere. Diana *part. 9. tract. 3. resol. 10.* Coton. *ibid. num. 115.* dummodo cesset periculum revelationis, ut in d. meis Decisionibus *de Penitentia Decis. 50. num. 3.*

64. *Quer.* An sit confitendum à communicaturo habente peccata reservata, si Sacerdos non habeat facultatem illa absolvendi, sed non reservata tantum? *Resp.* Duas haberi opiniones: Unam, quòd debeat confiteri, ut absolutionem accipiat non reservatorum; quo casu, nisi spontè voluerit, non teneretur exprimere etiam reservata, quia licet ea tegat, formaliter integra diceretur confessio, & pro nunc indirecè absolutus. Alteram, quòd non teneatur confiteri, quia ubi confessarius non habet facultatem absolvendi à reservatis, existimatur tanquam absens. Coton. alios allegans *ubi antea num. 116. & 117.* Porro non posse absolvi à non reservatis, ubi habeantur reservata, nec vice versa, ostendunt meæ Decisiones *De Penitentia Decis. 23. num. 15. & seqq.* nisi in casu magni scandali, aut notabilis detrimenti, ut ibi.

65. *Quer.* An possit communicare, qui confessarii copiam non habet, & vult adimplere Præceptum communionis Paschalis, licet mortalia commiserit? *Resp.* Esse hinc indè opiniones, sed affirmativam prævalere apud modernos Theologos. Diana *part. 5. tract. 13. resol. 63.* Coton. *ibid. num. 121.* ubi id non concedit in communicaturo vel ob votum, vel ob aliud præceptum humanum.

66. *Quer.* An Sacerdos, qui non habet confessarium, & est in mortali, possit celebrare, ne ipse, vel populus in die festo Sacrum amittat? *Resp.* Affirmativam esse magis pro-

babilem opinionem, & eo magis, si ipse esset Parochus. Diana *part. 9. tract. 3. resol. 9.* Coton. *d. loco num. 122.* qui *num. 123.* licere ait, ubi Sacerdos vellet celebrare ad satisfaciendum oneri Capellanæ, vel ob eleemosynam acceptam, si sit pauper, vel ad benedicendas nuptias; quamvis plures DD. hæc non concedant, sed persistendo in affirmativa, ea intelligenda est, ubi communicaturus actum contritionis eliceret, quæ semper est necessaria, deficiente Confessario in eo, qui debet ex urgenti causa communicare. Coton. *ubi antea num. 131. & 132.* ubi docet, non sufficere actum solius attritionis; nisi esset peccatum oblitum in præcedente confessione, in qua virtualiter censetur comprehensum, ac remissum; & sola attritione cum Sacramento confessionis peractò fuit absolutum, remanente obligatione illud confitendi. Idem Coton. *num. 133.* & Diana *part. 2. tract. 14. resol. 48. & part. 5. tract. 14. resol. 5.*

67. *Quer.* An ille, qui sic celebravit, vel communicavit, teneatur statim adire confessarium pro peccatis confitendis? *Resp.* Concil. Trident. statuisse. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. *sess. 13. cap. 7.* ex quibus verbis Doctores alii tenent, dari consilium; alii imponi Præceptum, at hoc humanum, & idèd tenetur confiteri quamprimum, quod intelligitur non rigorosè, & in prima opportunitate, sed non multò post. Candidus *tom. 3. disp. 2. art. 22. dub. 54.* Diana *part. 9. tract. 3. resol. 23.* ubi intelligit intra triduum. Coton. *ibid. num. 136. 137. & 138. & latè num. 144. & 145.*

68. *Quer.* An Eucharistia spirituales fructus gigneret in pueris, & amentibus, si ab eis comederetur? *Resp.* Affirmativè, & idèd Græcorum usum esse communicare pueros, Concil. Trident. *sess. 21. cap. 4.* quamvis ob periculum irreverentiæ id Ecclesia Latina non faciat. Diana *part. 10. tract. 11. res. 18.* Coton. *ubi supra num. 146.*

69. *Quer.* An sit abstinendum à Communionem eo die, quo quis habuit copulam conjugalem? *Resp.* Affirmativè de consilio ob reverentiam; Negativè verò de præcepto, etiam si copula fuisset illicita, facta tamen confessione. Diana *part. 5. tract. 13. resol. 65.* Coton. *ibid. num. 149.* ubi notat, votum conjugati de non communicando in die habitæ copulæ non valere, tanquam de minori bono.

70. *Quer.* An aliæ corporis sceditates impediunt Communionem, uti sunt menstrua, sordes, lepra, & similes? *Resp.* Negativè, quia pro cibo spirituali sufficit munditia spiritualis interior; & idèd *cap. Tua nos, De Cler. agrot.* vel censetur antiquatum circa prohibitionem à communionem Clerici leprosi, vel intelligitur de Communionem solemnem ob scandalum, vel nauseam circumstantium. Cotonius. *ubi ante num. 150.*

71. *Quer.* Quis sit Minister Sacramenti Eucharistiæ? *Resp.* Ministrum Eucharistiæ pro consecratione esse quemlibet Sacerdotem, qui validè consecrat, quamvis esset excommunicatus, irregularis, hæreticus, & degra-

datus; valide inquam, sed cum dictis defectibus illicitè. Quò verò ad distributionem Eucharistiæ, non solum debere esse Sacerdotem; nam, ut canit Ecclesia: *cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris*: sed etiam esse animarum pastorem, nempe vel Parochum, vel Episcopum, aut ab eis licentiam habere, saltem præsumptam; quæ his temporibus amplius non requiritur expressa, nisi tempore Paschali. Coton. *dict. lib. 2. Controvers. 4. cap. 7. num. 151. & 152.*

72. *Quer.* An Parochiani unius Ecclesiæ possint invito proprio Parocho sumere Communionem Paschalem in Ecclesia Cathedrali? *Resp.* Esse diversas Doctorum opiniones; sed negativam in jure haberi veriorè, nisi in ea civitate esset contraria consuetudo; nam Cathedralis non debet præjudicare juri priorum Parochorum, ad quos spectat, in Paschate reficere Sacra Communionem populum sibi subiectum. Coton. *ibid.* pluribus citatis num. 153. & 154. ubi negativam prædictam extendit etiam ad Regularium Ecclesiasticos; in quibus ipsi Regulares tantum, & eorum famuli possunt in Paschate communicare. Vide, quæ latissimè docui de Eucharistia *decis. 48.*

73. *Quer.* An Diaconus possit ministrare Laicis Eucharistiæ? *Resp.* Affirmativè in casu necessitatis, & absente, vel impedito Presbytero ex *can. 38. Concil. Carthagen. 41. Coton. ubi supra num. 155. & num. 158. & 159.* ubi disputat, qualiter intelligatur casus necessitatis? & se restringit ad periculum mortis ipsius communicandi; licet olim necessitas diceretur, ubi esset multitudo communicandorum, ut in die Natalis Domini, in festis Deiparæ, at hodie cessat ob multitudinem Sacerdotum, quæ tunc non habebatur.

74. *Quer.* An Sacerdos possit Eucharistiæ sumere propriis manibus more Laicorum? *Resp.* Alios Doctores negare, & alios affirmare; sed affirmantibus non esse adhaerendum, excepto casu necessitatis; tunc enim, quamvis adesset Diaconus, posset se communicare propriis manibus. Diana *part. 11. tract. 7. res. 42.* Sed quòd possit Sacerdos se ipsum communicare, monstravi de Eucharistia *decis. 29.* quam studiosus legere non ommittat.

75. *Quer.* An inferiores Clerici, sive etiam Laici possint in necessitate seipsos, propriis manibus, communicare? *Resp.* Antiquos Doctores omnino negare, inter quos S. Thom. in *4. d. 13. q. 1. art. 3. q. 3. ad 3.* ex modernis plurimos affirmare, quos allegat Diana *part. 11. tract. 7. resolut. 43.* & Coton. *ubi supra à num. 161. & seqq.* Concordantur dissentientes Doctores distinguendo circa causam necessitatis; nam vel necessitas oritur ob spirituales profectum communicandi, puta ob devotionem, & tunc negativa opinio est tenenda; quia hoc casu deficiente Sacerdote, vel Diacono, aut eorum aliquo administrare recusante, sufficit, ut communicandus credat, & spiritualiter manducet, ut ait S. Thom. *supra. & ibidem Scotus.* Vel necessitas provenit ob periculum mortis, vel ob reveren-

tiam Sacramenti, puta, quia superveniant Hæretici, vel Infideles, hostili animo Sacramentum Eucharistiæ tractaturi, vel ea reperiatur in loco immundo, nec sit modus eam reponeendi, & decenter custodiendi, & in his casibus possunt Clerici, & Laici propriis manibus seipsos communicare, prout fecisse Mariam Reginam Scotiæ testatur Coton. *ubi supra dict. num. 161. & num. 164.* Vide meas Decisiones de Eucharistia *Decis. 43.*

76. *Quer.* Quando Parochus teneatur administrare Eucharistiæ suo populo? *Resp.* In Paschate, in articulo mortis, & sæpius in anno, ac quoties petitur à non indignis. Coton. *ibidem num. 166.*

77. *Quer.* An Parochus teneatur administrare Eucharistiæ infectis pestilentia cum periculo vitæ? *Resp.* Negativè, quia Viaticum non est Sacramentum necessitatis, & sic respondit Gregorius XIII. ad S. Carolum Borromeum ex Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 174. & par. 5. tract. 3. resolut. 53.* Coton. *ubi ante num. 167.* Sed de hoc plura scripsi de Eucharistia *Decis. 61.*

78. *Quer.* Quibusnam sit neganda Eucharistia? *Resp.* Publicis peccatoribus, excommunicatis, aut alia censura irretitis; non autem occultis. Coton. *ubi supra num. 168.*

79. *Quer.* An saltem sit deneganda Eucharistia peccatori occulto, si eam occultè petat, & non in publico? *Resp.* Vel Sacerdos scit, illum esse peccatorem in Confessione, vel extra illam? Primo casu nullatenus potest Eucharistiæ denegare, quia sigillum obligat, nullum indicium peccati dare; secundo casu poterit. Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 46.* Coton. *num. 168. & seqq.*

80. *Quer.* An liceat ministrare peccatori occulto particulam non consecratam ad vitandum scandalum? *Resp.* Negativam opinionem tenuisse S. Thom. *3. par. qu. 80. art. 60. ad 2.* Sed affirmativam probasse S. Bonaventur. in *4. d. 9. art. 2. qu. ult.* Utraque opinio est probabilis, ut docet Diana *part. 4. tract. 4. resolut. 74.* & Coton. *ubi supra num. 171.* ubi advertit, quòd si tali pacto communicaretur peccator, deberet prius certior fieri de non consecratione. Vide, quæ dixi de Eucharistia *Decis. 50. num. 34.*

81. *Quer.* An peccet mortaliter Sacerdos, qui existens in peccato mortali alios communicat? *Resp.* Nonnullos DD. negare; sed affirmativam opinionem tenere S. Thomam in *4. dist. 5. qu. 2. art. 2.* cui adhaerendum est, ut facit Coton. *ibid. num. 173.* & videtur sic decrevisse Nicolaus Papa in *cap. fin. 15. qu. 8.* & ego probavi de Eucharistia *Decis. 4.*

82. *Quer.* An liceat communicare sanos in die Veneris, ac Sabbati Sancti? *Resp.* Non licere in die Veneris Sancti ob prohibitionem, quam facit Rubrica Missalis, & declarationem Sac. Congregationis, de qua Gavant. in *Rubric. Miss. part. 4. tit. 9. num. 25.* At in die Sabbati Sancti sunt discrepantes DD. opiniones, ut videre est apud Dianam *part. 9. tract. 7. resolut. 24.* & in meis Decisionibus de Eucharistia *Decis. 15.* ubi plenè de hoc Quæsito.

83. *Quer.* An possit dari laicis jejunis Commu-

municio quacunque hora diei, si sani sint? *Resp.* Affirmativè, secluso scandalo, & irreverentia Sacramenti. *Dian. part. 11. tract. 7. resol. 22. Coton. ante cit. num. 175.* ubi refert, in Ecclesiis Theatinorum, & Jesuitarum dari Communionem Laicis in nocte Nativitatis statim post primam Missam. Vide meipsum *de Eucharistia Decis. 9.* in qua hanc difficultatem examinavi.

84. *Quer.* An Laicus possit bis in die communicari? *Resp.* Affirmativè in duobus casibus. Primò, si timeatur de irreverentia Eucharistiæ. Secundò, si incideret in periculum mortis, nam licet de manè communicasset, iterum posset per Viaticum communicari, ut fuscè demonstravi in meo tractatu *de Eucharistia decis. 33.* quamvis hoc ultimum non approbet Coton. *ibidem. num. 176.* contra *Diana part. 8. tract. 1. resol. 87.*

85. *Quer.* An tempore pestis possit Sacerdos porrigere Communionem infectis non cum suis digitis, sed aliquo decenti Instrumento, puta cochleari, forcipe, aut simili? *Resp.* Affirmativè, si argenteum, vel aurum sit, & de irreverentia non timeatur. Coton. *ubi supra num. 185.* ubi damnatos esse à S. Carolo in suis Conciliis, ait, alios modos parum reverentes, nempe ut Particula exhibeatur in pagina, ut eam Laicus lingua capiat, & postea pagina comburatur; vel quod Sacramentum intra panem usualement ponatur, & similes.

86. *Quer.* An sit mortale, administrare Eucharistiam sine Cotta, & Stola, vel sine lumine? *Resp.* Affirmativè, si sic administraretur sine necessitate, ob transgressionem Ritualis, quæ in re gravi, ut hæc reputanda est, obligant sub mortali. *Diana part. 10. tract. 16. resol. 80. Coton. ubi ante num. 186.*

87. *Quer.* An liceat aliquo casu communicare laicum sub specie vini, id est, cum Sanguine Domini? *Resp.* Affirmativè in duobus casibus. Primò, si foret periculum aliquis gravis irreverentia in ipsum Sanguinem. Secundò si quis esset moriturus, & non adesset Hostia consecrata. *Diana part. 5. tract. 3. resol. 34.* Quamvis hunc secundum casum non approbet Coton *ubi antea num. 190.* & cum Cotonio ego tenui *de Eucharistia Decis. 14. num. 16.* ea ratione, quia hoc Sacramentum non est necessarium infirmis absolute.

88. *Quer.* An liceat Sacerdoti communicare laicum cum parte suæ Hostiæ consecrata? *Resp.* Affirmativè, quia sicut fructus Sacrificii est communis adstantibus, ita & hostia, qua fit Sacrificium, potest esse iisdem communis. Ego ipse *de Euchar. decis. 33.* Coton. ex Paludan. Sancio, & Diana, quos citat, & sequitur. *ibid. num. 192.*

89. *Quer.* Quibus ceremoniis Episcopus dispensare debeat fidelibus Eucharistiam? *Resp.* Quod si faciat Clerici, vel populi Communionem in Missa solemnem, veluti in Paschate, Diaconus à dextris Episcopi defert Pyxidem, & Subdiaconus à sinistris tenet Patinam ad mentum communicantium, Ex Caremon. Episcoporum. *lib. 2. cap. 29.* Sed si communicet extra Missam, ipse Episcopus

tenet Pyxidem pro majori securitate, & eadem à communicando manus osculatur. *Pax Jordan. lib. 3. tit. 3. num. 2. & 3. & num. 9.* ubi notat, Episcopum obligatum esse in festo Corporis Christi, illud devotè in Processione propriis manibus deferre; & *num. 12.* prohibere, ne amplius deferatur in Processione nocte feriæ sextæ in Parasceve juxta Decretum Sacrae Congregationis. *Episcop. die 12. Martii 1596.* quod post cursum annorum 60, practicum fuit in hac urbe Patavina à die dicti Decreti.

90. *Quer.* An sine licentia Episcopi possit fieri expositio SS. Eucharistiæ pro Oratione quadraginta horarum? *Resp.* Negativè. *Gavant. in Manuali Verb. Oratio publica in princ. & num. 19. Jordan. ubi ante num. 15.* Et ego probavi *De Euchar. decis. 60.*

91. *Quer.* An tempore Interdicti localis possit deferri Eucharistia ad infirmos? *Resp.* Affirmativè. *cap. Quod te. De Penitent. & Remiss. cap. Permittimus. De Sent. Excommunic. Jordan. ubi supra num. 31.*

92. *Quer.* Quam diligentiam adhibere debeat Episcopus circa frequentiam Sanctissimæ Communionis erga Clerum, & Moniales? *Resp.* Debet curare, ut Diaconi, & Subdiaconi saltem Dominicis, & Solemnibus diebus communicent, Clerici verò inferiores, ac Moniales saltem semel in mense, ex Trident. Concil. *sess. 13. de Ref. cap. 13. & Jordan. dist. lib. 3. tit. 3. num. 46.*

93. *Quer.* Quam pœnam incurrant Regulares dantes Communionem Paschalem laicis sine licentia proprii Parochi, vel Episcopi? *Resp.* Eos incurere ipso facto in pœnam excommunicationis. *Clement. Religiosi. De Privilegiis. Jordan. ubi supra num. 50. 51. & 52.* ubi notat, dummodo id faciant ex presumptione, & extra casum necessitatis; & illis, qui altero die nollent ad Parochiam ire. *ibidem. num. 79.* Et ego *De Eucharist. decis. 24.*

94. *Quer.* Quæ ætas attendatur, pro concedenda Sacra Communionem? *Resp.* Cum quis ad annos discretionis pervenerit, & sciat, quid sit acturus, quod solet esse ab anno decimo ad annum decimum quartum intra, juxta prudentis Confessarii arbitrium. *Jordan. ibidem num. 53.* quod ego plene examinavi *De Eucharistia Decis. 40.* ut sciant Parochi, quando debeant admittere pueros, & puellas ad Sacram Communionem.

95. *Quer.* An, qui non communicavit in Paschate, transacto eo tempore, sit ab illa obligatione communicandi liberatus; prout ille, qui non jejunavit in die jejunii, vel non audivit Sacram in die festo? *Resp.* Non esse liberatum, sed teneri ad præceptum implendum communicando; nec valet similitudo de jejuniis, & de Missa audienda, quia illæ sunt obligationes annexæ illis præceptis diebus, & iis transactis non obligant; secus autem in præcepto communicandi semel in anno tempore Paschali. *Jordan. ibidem num. 57.*

96. *Quer.* An Sacerdotes pro adimplendo præcepto Communionis Paschalis debeant celebrare in Parochia? *Resp.* Negativè, quia Sacerdotes, ubicunque celebrent, satisfaciunt præ-

præcepto. Azor. lib. 8. quæst. 8. Jordan, d. lib. 3. tit. 3. num. 81.

97. *Quer.* An Episcopus possit licentiam concedere asservandi Eucharistiam in Ecclesiis non Parochialibus? *Resp.* Affirmativè ex iusta, & honesta causa sibi bene visa. Jord, lib. 7. tit. 11. num. 17.

CAPUT CXVIII.

De Sacrificio Missæ.

Hucusque actum est de Sacrosancta Eucharistia, prout Sacramentum est, nunc de ea est agendum, quatenus est Hostia, & Sacrificium, nempe Res, quam Deo in Sacrificium offerimus.

1. *Quer.* Quid sit Sacrificium in genere? *Resp.* Sacrificium est Oblatio rei cuiuspiam sensibilis à ministro legitimo cum destructione quadam, seu immutatione facta Deo, ad protestandum supremum ejus dominium in omnia, & promptitudinem destruendi nos ipsos, si id ad ejus cultum conferret. Coton, lib. 2. Controv. 5. cap. 1. num. 1. & 2. Ego ipse de Sacrificio Missæ Decis. 4.

2. *Quer.* An omnia, quæ dicuntur, & fiunt in Missa, sint necessaria ad Sacrificium? *Resp.* Negativè; quia aliqua pertinent ad substantiam Sacrificii; at alia ad decentiam, & ornatum ejus. Coton, ibid. num. 3. Et ego ubi supra Decis. 3.

3. *Quer.* Quæ sint in Missa de substantia Sacrificii; & in qua Missæ actione consistat essentialis ratio Sacrificii? *Resp.* Alios dixisse, quod essentialia Sacrificii Missæ consistat in Oblatione; alios in Consecratione, & alios in Sumptione; sed verior opinio est, essentialiam Sacrificii de facto constitutam esse à Christo Domino in omnibus his actionibus simul. Card. de Lugo De Eucharist. disp. 19. num. 64. Diana part. 10. tract. 12. resol. 27. Coton, ubi supra num. 4. Mæx decisiones de Sacrificio Missæ Decis. 31.

4. *Quer.* Quot species Sacrificiorum fuerint in lege veteri? *Resp.* Tres, nempe Holocaustum pro Dei honore, & in eo tota Victimæ cremabatur. Expiatorium pro peccato, cujus Victimæ pars una cremabatur: altera à Sacerdote manducabatur, & Pacificum propter benesicia vel accepta, vel accipienda; & in hoc victimæ una pars cremabatur, unam manducabat Sacerdos, & alteram ipse offerens; & in locum horum trium Sacrificiorum successit Missa; in qua Corpus, & Sanguis Christi Domini offertur Sanctissimæ Triadi in Holocaustum, pro expiatione nostrarum culparum, & pro impetratione beneficiorum. S. Thom. 3. par. quæst. 22. art. 1. & 2. Coton, ubi ante num. 4. 5. & seqq. Vide me ipsum De Sacrificio Missæ Decis. 14.

5. *Quer.* An sit necessarium ad rationem Sacrificii consecrare prius hostiam ante Calicem, & deinde ipsum Calicem? *Resp.* Affirmare Suarez apud Dianam par. 10. tract. 12. resol. 13. Sed alios magis communiter negare, quia etiam si prius consecratur Calix, quam hostia, substantia Sacrificii salvatur, quæ in separatione sanguinis à corpore subsistit; ideo,

si quis ex malitia consecrasset prius Calicem, vel comprehenderet Hostiam consecratam non esse materiam aptam, non teneretur, nisi consecrare aliam Hostiam. Coton, ubi supra num. 8.

6. *Quer.* Quid agendum, si Sacerdos in Missa post utramque consecrationem cognosceret neque hostiam, neque vinum in Calice esse materiam aptam, & sic neutram fuisse verè consecratam? *Resp.* Tres dari responsiones. Prima est, quod si nondum sumpserat eas Sacerdos, iterum utramque materiam legitimam accipiat, & consecret. Secunda est, quod si jam eos sumpserat, & non sit amplius jejunus, nihil aliud agat, quia in nihilo factum est Sacrificium. Tertia est, quod in hoc casu, licet non jejunus, iterum consecret, & sumat materias aptas, ne adstantes privet expectatione Sacrificii; & hæc ultima responsio magis arridet. Coton, ubi supra num. 9.

7. *Quer.* Quid agendum foret, si post summptionem Sacri Corporis, Sacerdos deprehenderet, in Calice fuisse appositam solam aquam? *Resp.* Duas esse opiniones. Una est, quod deberet consecrare tantummodo Calicem incipiendo à simili modo. Diana par. 2. tract. 14. resol. 70. Altera, quod debeat consecrare etiam novam Hostiam cum Calice. S. Thom. 3. part. qu. 83. art. 6. ad 4. incipiendo scilicet à *Qui pridie*. Utramque opinionem admittit Rubrica Missalis par. 3. tit. 4. num. 4. & 5. Sed & illud est sciendum, quod si suppleri non posset defectibus hujusmodi absque magna perturbatione Sacerdotis, commotione, aut scandalo populi, posset Missam perficere absque nova consecratione, & hoc sine peccato. Hurtad. de Sacrific. Missæ disp. 4. diff. 13.

8. *Quer.* An eadem Hostia omnino debeat sumi, & ostendi populo, quæ in ea Missa consecrata fuit? *Resp.* Affirmativè, quia ostensio, & sumptio unius, & ejusdem Hostiæ spectat ad idem Sacrificium; ideo non poterit Sacerdos sumere Eucharistiam existentem in Pyxide, & ibi reponere Hostiam, cum qua Missam celebrat, etiam si aliam non haberet reservandam pro Oratione quadraginta horarum; Vel si celebraturus non haberet nisi parvam particulam, non posset illam tantum consecrare; & ostendere in elevatione aliam Hostiam grandem, altera die præconsecratam, etiam si cum ea elevaret ipsam parvam particulam, quia duas Hostias tunc elevaret. Sic præpositus, Card. de Lugo, Marchantius, & alii, quos citat, & sequitur Cotonius de Controv. 5. cap. 1. num. 13.

9. *Quer.* Quid agendum, si Sacrificio nondum completo, moriatur Sacerdos? *Resp.* In Rubricis Missalis præcipi, quod: *Missæ per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desit, & in casu necessitatis etiam à non jejunis.* Quod est intelligendum, si jam facta fuerit consecratio Hostiæ. Rubric. Miss. cap. 10. num. 3.

10. *Quer.* An alius Sacerdos ad id teneatur sub mortali? & quid juris, si non superveniat ibi, nisi post considerabilem temporis dilationem? *Resp.* Videri rationi magis consonum, quod dicta obligatio non incumbat sub pena peccati, sed ex convenientia, & consilio juxta Textum in cap. Nihil, 7. quæst. 11.